



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quomodò commouendi sint animi ad iram, hoc est, ad zelum honoris Dei,
& ad mansuetudinem. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

solū à Christiano sed etiā ab homine alienissimū est. peccata esse odio habenda, & maximè vitanda, iam ostendimus; non inde tamen sequitur, peccatorem, quem iustum efficere potest Dominus, qui sua pœnitentia potest alios ad pœnitentiā excitare, odio esse habendā: eius potius causa dolendum, & pro eo, veluti pro fratre, orandum: & cogitandum sæpè, ac vehementer timendum, nè & nos cadamus. Indignatio autem, est dolor ex bono alterius, quem illo indignum iudicamus, quæ perturbatio, vt philosophi scribunt, in illos in primis cadit, qui se dignos maximis honoribus esse intelligunt: dolent igitur, aut quia nō consequuntur, quæ indigni sunt consecuti; aut quia pares illos sibi vident factos, quos inferiores existimant. quamobrem huiusmodi perturbatio fortasè non est laudanda, neq; excitanda, cū suspicienda sint Dei iudicia, & Christiani hominis sit, omnes sibi anteferre, alios se meliores putare: & fieri etiam possit, vt qui mali & indigni honoribus fuerint, mores corrigant, & illis se honoribus dignos prabeant. Nec vituperanda est omninò publicè hæc affectio: potest enim interdum à virtute proficisci, quia tamen meliorem animam non efficit, & humano generi non prodest, non expedit, vt in cœtu hominum excitetur.

Quomodò commouendi sint animi ad iram, hoc est, ad zelum honoris Dei, & ad mansuetudinem. Cap. XII.

IR A est dolor mali presentis, aut non sine dolore: ad hanc commotionem vtile erit interdum oratori Ecclesiastico populum concitare. nunquam tamen concitabit,

bit, nisi propter honorem Dei. quam iram, aut potius zelum honoris Dei, expressit diuino numine afflatus David his verbis: Irascimini, & nolite peccare. Irā vindicta appetentis, & illustris cum dolore appetitionem in illum, à quo se quispiam, aut aliquem suorum palam neglectum, atque contemptum merito putet. Aristoteles definit: ex qua definitione colligitur, hanc potissimum esse huius commotionis excitanda causam, nimirum contemptum. superbum enim animal homo, tantum abest, ut contemni a quo animo ferat, ut haberi qui non est, magni fieri maxime appetat: à quo genere perturbationis semper studebit Ecclesiasticus orator auertere auditores; & probabit, latandum potius nobis esse, cum contemnimur, cum nos nihili faciunt homines, cum contumelia afficiunt, cum detrahunt; hæc esse phar maca maxime accommodata ad sanandam superbiam nostram; regem regum, & dominum dominantium, Christum Dei filium, in hoc mundo despectum, contumelijs varijs affectum, orasse pro calumniantibus & persequentibus se, & cum maximis iniurijs afficiebatur, mansuetudinis nobis reliquisse exemplum. Ira Christiano homine digna est, in eum cum dolore concitari, qui Deum celi & terra dominum non agnoscit, & Beata semper virginem Mariam matrem Dei, & aduocatum nostram, sanctos aeterna vita fruentes, innocentes etiam viros debita veneratiōe non prosequitur: qua ira rectius fortasse, ut paulo antè diximus, appellari potest zelus, quo sancti viri amici Dei, commoueri consueuerunt, ut est apud David: Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Et alio loco, Zelavi super facientes

iniquitatem. Ad quam commotionem populus concitan-
 dus est aduersus hereticos, & aduersus publicos pecca-
 tores; maxima tamen adhibita cautiōe, vt semper intel-
 ligat, qui audit, orandum esse pro ijs, quibus irascitur;
 & nihil esse, cū de honore Dei non agitur, mansuetu-
 dine amabilius; nihil etiam Deo atque bonis viris, acce-
 ptius. Mansuetudo est compositio animi, & frænatio ira-
 cundie, amicitiarum conciliatrix, bona existimationis
 nutritrix, discordiarū expultrix, alumna pacis, & iucun-
 dissima humanae vitae socia: in qua virtute qui magis pro-
 ficat, maiorem sapientiae & bonitatis famam consequi-
 tur. Ad mansuetudinem verò saepe necesse erit animos
 impellere; cū iniuriarum, simultatum, atque odiorum
 plena sint omnia: satis miseros esse illos, qui in nos iniuriā
 intulerunt, quia iniuriosi sunt, quia peccauerunt: sed an-
 dum animum, quia illud est vincere, quia illud est imitari
 Christum, illud est adspirare ad vitam aeternam.

Quomodò commouendi sint animi ad Pœni-
 tentiam. Cap. XIII.

DO LENT, qui malè se habent: & cū in malis
 nihil iure collocari possit, nisi peccatum, morbus
 grauissimus animae; declarandū est, salutarem esse dolo-
 rem volūtarium: pœnitentiā esse peccatorū medicinam,
 sine qua sanari nemo potest, sine qua qui è vita, peccatis
 maculati, decedunt, perpetua morte condemnantur, esse
 iniquitatum interitum, lachrymarum alumnam, salutis
 spem, donum cælitus datum: eam non fornicatorem re-
 nuere, ab ebrio non auerti, non abominari idolatram,
 non